

divini libri causa omnia voluntario reliquerit, parvique habuerit, & alibi βίβλων ἡ ἕχαιρον τοῖς Θεῶν συνηγόροις, libros amabam, quibus loquimur cum Deo. vid. *ejus vita*. Hic Christianorum amor erga Scripturam tantus erat, ut eorum multi eam secum portarent quocunque iverint, imo erant qui cum Evangelio pectori imposito se sepeliri curabant vid. FLEURY p. 24. qui ad *Acta S. Agapes* provocat. In persecutionibus non pro levissimo afflictionis genere habuerunt, si, prout moris fuit, S. libris privati, aut ex metu, ne abripiantur, occultare illos coacti sunt; hinc illa Thessalonicensis Irene Præsidi *Dulcetio* roganti, utrum Scripta S. aliquo præsente legerint, *domi nostri*, inquit, *erant, neque audebamus illa efferre, quamobrem magnopere angebamur, quod non poteramus nocte ac die illis operam dare. sicut à principio consueveramus usque ad annum superiorem, quo & illa occultavimus.* vid. BARONIUS *Anal.* ad an. 304. num. 46. & RUINART, in cit. op. *Acta prim. Mart.* p. 391.

§. 16.

*Magnorum profectuum in Scriptura studio exempla.*

Indefessa itaque fuit illorum industria in hoc divino studio, cum probe scirent, quod quo plus eam legat quis, eo minus illam fastidiat, & quo plus eam meditetur, eo plus eam diligat. Hinc tantos in illa fecere profectus ut ipsi quasi illius nescii continuo cum Scriptura & ex illa loquerentur, ut ex JUSTINI MARTYRIS, ORIGENIS, HIERONYMI & aliorum scriptis patet. Exemplaria Bibliorum tunc temporis capitum & versiculorum divisionem, qualis in nostris reperiuntur, non habebant, ut ex vetustissimis Codicibus adparet, nec adeo constat utrum concordantiis aliisque præsidiis, quibus hodie memoriæ optimè subvenitur, fuerint sublevati; hoc non obstante ita tamen in Bibliis versati erant, ut quæ vellent ex iis prompte recitare potuerint, quod illorum usui & exercitationi crebriori acceptum referri debet. In *Origene* antiquitas habet quidem quæ censeat, miratur tamen ejus scientiam in Scripturis ejusque incredibilem laborem in ejus tractatione & explicatione. HIERONYMUS in *Catal. Script. Eccl.* de illo refert, quod tantum in Scripturis divinis habuerit studii ut etiam Hebræam linguam contra ætatis gentisque suæ naturam

naturam